
B


NAZIONALE VITT. EMANUEL
68
13 B
21





M. ANGELVS BLONDVS, DE COGNITIONE HOMINIS PER ASPECTVM.

OPVS VERE, IN HOC GENERE
Compendiosum, alijs etiam præstantius, quia & distinctius, & accuratius, & vberius scripsit cæteris, colligens
quicquid, cum Arist. tum Hypp. vel Gal. cum alijs
Testamentis sparsim omiserint, addens de
maculis totius corporis, quod apud
Latinos Phisionomantes
adhuc relictum
testamen
to non probatur,
Cupientibus viuere absque
periculo malorum valde necessarium.



Cum auctoritate Diui Pau li. III. M. P. & Illustriss.
Senatus Venetiarum Priuilegio in Decennium.

ROMAE M. D. XLIIII.

DIGNISS. ORATORI, AC, CLARISsimo Senatori Veneto, Francisco Venereo, Michaelangelus Blondus. S.



VONIAM *Semper aduerti studiose, eruditos operam dare, ne quod spectat ad virum illis etiam esset ignotum. Quod cum nouerim tuum quoque præcipuum esse officium,* Arbitratus *sum, hanc* Legationem *merito tibi datam esse,* Clarissimo *Senatori, quia officiosissimus es, & maximis virtutibus insignitus,* Fortuna *etiam, si qua est in terris, ornatus. Quare, vt &* Senatus *ipse, & tu quoque, meam cognoscas seruitutem, hoc breui* Opusculo*, sed succi pleno, te excolere curaui. Quia cognitis hominibus per aspectum, & te ipsum, & Senatum illum, tueri ac defendere præstantius poteris.* Nam *in quantis dolis hominum versatur, haud facile, aliter, quam, per phisionomicum iudicium noscitur.* Vale.

MICHAEL ANGELVS BLONDVS, DE COGNITIONE HOMINIS PER ASPECTVM.

PROHOEMIVM.



ROCVLDVBIO *Omnia animantia probe conueniunt in ſuo genere, præter hominem. Namq; audiuimus, atque vidimus, Bruta congregari, & cum diſſimilibus certare. Aſt homini plurima mala prodeunt ab homine, quod potius ferinum eſt, q̃ humanum. Ideo propter ſcelus hominis, neceſſarium eſt homini, & naturam, & mores cognoſcere hominum, pro uiribus. Cui & enim animantium ab alio, vt homini ab homine infertur, & iniuria & damnum grauius, nulli arbitramur. Eſt.n.homo cauſa luctus hominis, & fragilis vitæ præceps finis. Vt igitur, poſſit homo, hominum furorem diffugere, & malorum confuſum pauorem ſternere, oportet ſeruare hæc præcepta plurimorum, quoniam aperiunt inſidias inuito homine concluſas etiam in penetrabilibus cordis. Iſdem quoq; doctrinis, et mores virorum cognoſcimus. Itaq; ijs medijs expertes periculorum, fœliciter currimus ad finem præſcriptum ab ipſa natura. Vtamur ergo iudicio phiſionomico, quia & probitatem multorum, et quorundam improbitatem cognoſcemus.*

Quid ſit iudicium phiſionomicum.

PLATONIS *Eſt illud, quod* M. T. *etiam retulit in de offitijs, Cum quis dicturus fuerit de re quapiam, oportet, primum diſerere illud de quo diſputaturus ſit, vt intelligatur quid ſit illud. Igitur ne a ſcopo diſcedamus, dicimus iudicium phiſionomicum diuinationem eſſe, quam colligimus dum perſpicimus aliquem, & hoc circa bonitatem, vel prauitatem eius, ſiue medium horum, ſi datur medium, vel iudicium, hoc eſt, ordo rationis, quo diſcutit qđ dubiũ erat, de moribus, et improbitate hominis.*

De *Homine.*

ET *Quoniam iudicium phiſionomicum verſatur circa hominem.* Videndum *eſt quid ſit homo, vt rectius cognoſcamus de quo ſit iudicium. Sciendum eſt igitur de mente* Platonis, *ꝙ homo eſt aliud ab homine, & is arbitramur, reſpexit ad animum.* V*erum* Ariſt. *& omnes* Peripa*tetici, dicunt hominem eſſe animal rationale mortale. &* Gal. *indiſ.* Medice. *ab his non diſcentiens, ſcripſit, homo eſt animal rationale morti obnoxium ſenſus doctrinæq; capax, dictus eſt etiam minor mundus.* Diuer*ſorum enim animalium proprietates reperiuntur in homine, vt inuenimus in* Libro *de ſecretis ad* Alex. Propter*ea multum indigemus phiſionomico iudicio, quia in tam magno aceruo populorum, atq; illorum proprietatibus, potius fraus ac*

dolus, q̃ probitas absconditur in cordibus eorum, quia plurimi hac tempestate vehementius in obliquum, q̃ in rectum descendunt.

De conceptu Hominis.

DVM Causas & primordia hominis respicimus. Concretum ab excrementis humanis inuenimus hominem. Itaq; miseret, vt & Plinium, atq; etiam pudet, q̃ sit friuola animalium superbissimi origo. Namq; & vterum in quo concipitur in infernis sedibus circumuolutum visceribus, infectis mulierum corporibus conspeximus, per quæ excremētosa, & male olentia crebro eijciuntur, sed causa conceptus est, recens menstruorū purgatio, et appetitus libidinis, vt retulit Gal. verum mēses mulierū magni aconiti seruant proprietatem. Itaq; embrio vel alitur aconito vel prætengitur eius sede. Ergo ex medijs fæcibus siue ex loco cenoso vilissimum concepimus hominis primordium esse, sed conceptus qui natura consistit, quemadmodum ex mare & fœmina prodeat, neminem latere arbitramur. Tamen et solamur paululum, cū ad animam vertimur. Nam & Arist. ii. de generatione. Cumq; anima sit corpore melior animatumq; inanimato præstet propter animam, & esse q̃ non esse, & uiuere q̃ non uiuere melius sit, & efficitur ijs de causis, ut generatio animalium sit, et si ex fæculentioribus conceptus fieret, q̃ est

semen humanum. Fatemur hominem beatissimum esse, dum intelligens uertitur ad ea quæ sunt animæ, & non quæ fuerint corporis, quia altera pars hominis cœlestis est, altera uero terrestris, quod ergo sint præstantiora Aetherea terrenis, & ignaris, et rudibus sunt notissima.

Ex quibus capitur iudicium phisionomicum.

POSTQVAM Circa hominem sermo noster futurus sit, ut conspicitur ex prædictis. Dicimus quod non secundum indiuiduitatem hominis, solummodo fit hoc iudicium, sed etiam ex partibus eius. Nam Arist. in Tractatu de phisionomia scripsit, inquiens, Nunc autem dicam ex quibus generibus, signa accipiuntur, & sunt omnia, ex motibus. n. phisionomizent, ex figuris, et coloribus, et ex moribus apparentibus, & ex figura totius corporis. Nos etiam ex tactu pronosticari, ac cōcipere mores hominum consueuimus, & hoc iudicium, nos raro decepit, dum corpus propriam seruabat temperaturam. Ex his ergo omnes proprietates, et uitia hominum comprehenduntur.

De varijs formis hominum.

QVAM Sit varia forma hominum, vulgo conspicitur. Nos autem ex toto genere humano, trisformas comperimus, proceres, magnas, & humiles. De proceri, legitur de Imperatore Maximino Thrace orto Barbaris, ex parentibus,

tentibus. Quem ob insigne corporis incrementem, siue portentosam proceritatẽ, dicũt, fuisse bardum. Idem putamus dicendum esse, de quoddam Artache inter Persas procerrimo. Qui Xerxi erat charissimus, Teste Herod. Is tamen primus occubuit inter Milites quamuis fossæ Facundæ præerat. Ideo cõmuni iudicio oblongos dicimus ignauos esse, præcipue si fuerint graciles corpore, hi autem & Stulti dicuntur, & quasi monstra Naturæ sunt. Fatemur etiam vidisse hominem Sulmoni, qui non inuenit stratum, in quo extensis pedibus iaceret. Merito ergo Ouidius in Heroyd. Meminit procustem, quẽ tradit domuisse Thesseum, qui prostratis hominibus indecenti Thoro lorgiores Strato pedes secabat. Breuiora autem extendens crura. Is.n.vt arbitramur, volebat omnes vniformes reddere, tandem, hoc homine nunc etiam indigent mõstruosi. Postꝙ in proceri non maior, sed neq; par, ꝙ indecenti forma uirtus conspicitur. Itaq; superflua forent resecanda, ni facinus cõmitteretur. Prudenti autem viro sat erit hoc nouisse, habentes collum oblongum, et corpus protensum, iudicare Stultos, quia natura tales sunt. Sed homuntioli nõ multum differunt in proprietatibus a Proceribus, quod est in altero ob incrementum, in altero etiam ob decrementum. Et.n.maximus uidetur suripuisse, paruulo quod deest. Quare uidimus Romæ homũtiolum, nil boni gerentem præter formulam. Igitur media forma est, quæ neutrum horum attingit. Quæ, qualis & quanta sit,

cognoscitur, ex conspectu ylari & iucundis moribus, et quo uis in offitio ex laudabili solertia.

De Tactu, & Visu.

CVM *Quispiam occurrit obuiam, oportet nos cognoscere salubris, uel insalubris sit ille, vt ergo utamur iudicio recto, perspiciendo considerabimus, an ex offitio membra deseruiunt corpori, ut ipsa cõstituit natura, quia dum mẽbra abutuntur suis proprietatibus. Tum corpus illud fatebimur male sanum esse. Ast habitus corporis saluberrimi, conspicitur temperatus in qualitatibus succorum. Cuius inditium est, iucundus color vultus, ylaris prolatio verborum, cum fragranti spiritu, et desiderio eius assistentiæ. Opposita uero, natura orremus. Cuius ergo facies erit alba permixto oblectabili rubro, sed capilli fului siue flaui colore, & corpus neq; obesum, neq; gracile, sed mediũ inter dicta, signum est & salubritatis, & optimæ temperaturæ, & morum ubertatis, hoc idem colligitur ex tactu. Quia dum tangimus aliquem, & eius oblectamur tactu. Tractando non asperum, neq; urẽs membrum, quia dum tangimus aliquem, atque eius tactu delectamur, proculdubio grato eius tactu fruimur, quod est inditium, optimæ temperaturæ. Rigentem uero & fuscam pelem conspicientes, & præferentem tactum asperum, & glaciale frigus tangentes, pronosticabimur oppositum. Summa autem hæc erit. Cum corpus nil patitur quod ægrefert, &*

omnis affectionis fuerit expers instar Adamantis, nullamque perquirit artem, quæ ualetudini præsto sit, saluberrimum dicemus. Egerrimi etiam summa erit oppositorum, tamen ut has rationes quisque optimas esse credat. Auctoritate Gal. comprobamus illas. Itaque indiff. Medic. scripsit Gal. quod sanitas est æquabilitas et bona temperatura primorum qui in nobis sunt humorum, uel sic, sanitas est bona temperatura quatuor elementorum. Aut sic, sanitas est æquabilitas eorum, & tẽperantia quæ hominem constituunt. Calidi nempe sicci, frigidi, & humidi. Tria etiam dicimus, quæ gratissimam indicant sanitatem, uenustatem, uidelicet, quam plerique uocant pulchritudinem, non fuco paratam, sed naturalem, bonũ habitum, quẽ optimã temperaturam appellamus, aliud esse, postremum uero integerrimum robur membrorum, quod multi uocitant integritatem. Idem etiam in eodem Tractatu inquit, morbum esse intemperantiam primorũ elementorum, quæ secundum naturam in nobis sunt, uel morbus est intẽperies humorum ex quibus corpora nostra constituuntur. Aliter, morbus est naturalium potentiarum impedimentum. Itaque cum quis proprio non fungitur offitio membrorum, is infectam partem habet, et cum totum corpus, cum operibus proprijs vi quadam coactum desistit, tum morbidum dicitur corpus. Propterea quisque conetur pro viribus seruare suum temperamentum, fugiens noxia, & cupiens profutura.

CVM Naturam alicuius ex pilis cognoſcere voluerimus. Tum oportet conſiderare in primis colorem, poſtea quantitatem, poſtremo etiam qualitatem pilorum. Verum, vt rectius cōprehendamus quod intendimus. Sciendum eſt, quod pili oriuntur ex vapore fumoſo terreſtri egredienti e craſſis atq; humidis ſuccis. Sed uapor is cōgeritur in medijs poris, ex cuius congeſtione capilli oriuntur. Et ortus illorum eſt cauſa, calidum cum ſicco, quod humidum glutinoſum ſuperueniens exſiccauit, quia erat ortus pilorum impedimentum humidum illud, & hoc ſecūdum Alyab. De coloribus igitur ſunt nigri, dum Sole non fuerint vſti hiq; bilioſum indicant temperamentū, ſed quando deſcendunt ad fuſcedinem & Corui colorem. Tum perhibent furorem atræ bilis. Aſt cū ad glaucedinem, tum oſtendūt incrementum flauæ bilis. At cani ſiue candidi pili, dum non prouenerint ob ſceniū, inſipidi ſignum, sunt hominis, atque eius qui fugit comitates, quoniam is color prodit defectum innati caloris. Ex hoc. n. defectu & canities oritur in ſenibus, qui, q̃uis ignaui ſint, et pleni hebetudine, natura, propter hoc fiunt magis ignaui, ut conſtat omnibus. Nos autem uidimus Dalmatam qui a longe annoſus poterat iudicari ſenex, verum a prope adoleſcens, ut erat dignoſcebatur. Tamen eius pili erant niuæ candidiores, et hoc ſuccorum ob putredinem, uel deffectum caloris, quod conſpicitur nonnunq; & inægerrimis. Hunc uero igna-

Capilli ... planí ...

uum cognouimus hominem esse, quoniam inter socios non tam loqui non audebat, sed neque aliquid operepretium facere tentabat. Itaque candidum vocitantes sodales, corpus inane vocabant. Fului etiam & flaui pili flauæ bilis indicant feruorem. Is vero minus biliosus est, nigros habente pilos. Eiusque accensa citius, quam dicti bilis comprimitur. Mores autem huius mitiores sunt, & magis apetendi. Rufi itidem pili, sunt inditium rubræ bilis, hæc autem est mala species succi. Rufi etenim pili pasim dicuntur pessimi. Quia vafri, ac dolosi hominis sunt signum. Huiusmodi namque hominem dum & Turcæ comprehendunt, acerrimum ex eo conficiunt aconitum, quo celeres illinunt sagittas, vt confixum cito interimant. Procul igitur is fugiendus est, quia scelestissimus. Spissitudo vero, siue pilorum densitas ex optimo temperamento vaporum, & sufficienti innato calore oritur. Is itaque dictis temperantior est, at planities adhuc ex mitiori calore, & magis temperato, temperantiorem dictis etiam indicat hominem. Crispi vero pili ex abundantiori, & magis urenti calore fouentur, & sunt inditium biliosæ temperaturæ. Iucūdiores ergo planos habentes pilos, & moribus ornatos præstantioribus indicamus. Crispi etenim quid asperum perhibent & ferinum. Ast in quo pili tarde proueniunt, debilis ingenij hominem dicimus esse, & pauidum in exequendis rebus, mulierosum etiam, sed fructuosum affirmamus.

De Caluitie, & casu pilorum.

PROCVLDVBIO, *Cum in aliquo apparent defectus, illorum, quæ inesse debent naturaliter, remotis forinsecis casibus, dicendum est, inditium esse contrarium bonarum proprietatum hominis. Quod si decidunt pili ob aliquod crimen in materia repertum ex qua oriuntur, vel propter causã loci ex quo proueniunt, aliter sentiendũ est. Cum ergo casus pilorum ceperit innotescere, tum principium & prauarum operationum fit notum, vt sunt malæ cogitationes, doli, & simillima.* Caluum igitur *vafrum subdolum & fidefragum hominem inuenimus, & cupidineis vehementem oblectãtem. Sed hoc iudicium fiat secundum maiorem, vel minorem caluitiem.*

De forma Capitis.

MAGNITVDO *Capitis, & concinæ formæ excessus, a quibusdã crassis spiritibus suscepit incremẽtum, qui posuerunt sedem in ossibus capitis, siue, incrementi eius est causa, succi aquosi multitudo in capite conclusi, quod frequenter accidit, priusq̃ in lucẽ infans peruenerit ab vtero matris. Hæc igitur, moles, indicat gerentis ignauiam, atq; indocilitatem, & omnẽ aliam improbitatem quæ pituitosis ascribitur habitibus, vt est inertia segnities, & stultitia quædam, q̃ pro uiribus cupiens occulere, sæpenumero retegit.* Ideo & Arist. *hunc eundẽ appellat fatuum,*

magnum hebetes | minimum fatuus | mediocre ingeniosus: [illegible]

& eundem assimilat Asino. Eadem & Cocles vbi de Sig. C. Nos etiam cogim ur efferre illud vulgare quod iã cescit in prouerbium. Cum quis non percipit quæ narrãtur q̃uis decentis formæ fuerit, dicitur, caput crassum. Tamen Gal. in Arte Med. ubi de paruitate & magnitudine capitis. Paruum inquit caput vitiosæ constitutionis cerebri proprium est inditium, magnum vero non necessario indicat bonam Cerebri compositurum. Ergo quæ magno ascripsimus capiti potius videntur, parui esse proprietates. Verum idem dilucidans hoc, ait, bonitatem in magno capite esse, ob insitæ uirtutis robur, quod multæ atque optimæ materiei tribuit. Atque etiam idem respiciens ad multitudinem, haud quaq̃ bonum esse retulit. Distinguenda igitur est figura capitis. Nam Concina figura signum bonitatis est. Ideo Gal. Propriam figuram capitis excogitauit ut Spheram exquisite rotundã, atque ex cera constructam & paulatim utrinq; depressam. Propterea dicemus etiam paruum gerentem caput, uitiosum, uersutum, ac subdolum esse. Cõcinum autem, & figuræ quam retulit Gal. Virũ esse laudabilem. Sed Aegineta ex forma quidem, si decens omnino atque concina est, profecto nunq̃ hæc nota mala censenda est.

De Fronte.

CVM De fronte dicturi sumus, ex qua potissime solet fie-

ri iudicium, necessarium est, tam diuersitates formæ eius q̃ proprietates cognoscere. Frons.n.est, & mœroris, & tristitiæ ylaritatis, lætitiæ, seueritatis, & clementiæ inditium. Demum prospicientes diuersas hominum formas, mirabamur naturæ clarissimum opus, & quid probitatis siue improbitatis inseruerit hominibus, ex fronte conijcere cepimus. Et.n.perspeximus hominem magnæ frontis ad formam Emicicli, & is ut caluus esset, uidebatur. Hinc concepimus maximam hominis probitatem, & alium respicientes qui instar circuli frontem efferebat, optimi ingenij iudicauimus hominem. Occurrit etiam nobis quidam oblonga fronte porrigens quid perplexi, illud confessi sumus inditium leuitatis esse, ex aduerso quoq; prospiciẽtes obiecit se frons valde plana, nullam habens rugã instar mulieris quæ fuco distrabit pelem. Inde illum nouimus valde audentem, & proceres habentem angulos frontis cũ quadam præeminentia ossium cognouimus uanitatis signum. Tandem apparuit quidam gerens frontem obessam cũ temporibus, carnosas & maxilas possidẽs, is alter Hector uidebatur quia magnanimus. Ex aduerso respiciẽtes rugosam frontem, atque contractã, in medio uero, procliuiuẽ, concepimus esse simplicissimum. Verum ex uno signo non est iudicandum quoniam inquit Arist. Signorum autem quæ sunt in tempore, fortiora sunt quæ accipiuntur manifesta in moribus, & secundum motus, & figurã, omnino autem vni quidem signorum credere fatuum est.

Quando

Quando autẽ plura conueniunt quæ sunt in uno, accipiat magis vtiq;. Frons igitur magna, & aliquantisper circu laris, ac de pilis, citra bonitatem ingenij, indicat dolosam curiositatem, magnanimi iracundiam, & pronum ad mendacium, sed cuius fuerit frons instar Emicicli, q̃uis hoc erit inditiũ optimi ingenij, idem tamen et ylaritatis, et vberrimis virtutibus insignitum significabit, nec duriorẽ cera, sed in agendis tractabilem, frons vero aculeata indicat rudem inualidum, & aduersissimis iaculis fortunæ suppositum. Tamen moribus ornatum iucundissimis. Frons autem valde plana, & sine rugis, q̃uis & dolosum, & litigiosum perhibet hominem. Tamen ostendit, & vanum esse eũdem, & simplicitatis, potius, q̃ sapientiæ testimonium etiam est. At frons cuius tempora dimidio circuli assimilantur citra audaciam ostendit optimum ingenium per optimũ intellectum, & in nefandis magnanimũ, q̃uis, & cupientis pulcherrima, & amantis delitias, & affectantis honorem, est inditium. Et frons oblonga atq; eminens in procerum, & vanum, & inualidum, morigeratum etiã ostentat, & crudeli subiacentem Fortunæ. Frons autem obesa, præcipue in temporibus, & si magnanimitatis signum sit, tamen & durũ ingenium, & iracundiam indicat eiusdem. Et frons rugosa, & contracta citra simplicitatem, non unq̃ inditium est optimi ingenij, & magnanimitatis, atque iniquæ sorti suppositum. Nunc autem ad ea descendemus quæ de fronte scripsit Arist.

Vt quæ dixerimus perhibeâtur verissima esse. Ideo inquit, Frons valde magna, & carnosa, & leuis quæ sunt extra oculos, facies, videbitur humilior, et somnolentior, neque intenesse aspiciens, neque remisse respiciens, in motibus tardus erit, & remissus figura, & in ore quod est in facie, non præceps, sed uidebitur bonus. Idem etiam inferius. Quicunq; frontem paruam habent indisciplinabiles sunt, & magnam tardi, orbicularē insensibiles, quadratā moderatam, magnanimi, & tensam adulatores. Ast Indagine frons in girum eleuata a quibusdā probatur maxime, si capiti bene respondeat. Cum prominentijs vero rotundis temporum, dum depilis fuerit, indicat præstantiā ingenij, cupiditatem honoris, & arrogantiam, & quæ oēs magnanimos sequuntur. Glabra & complanata Cuticula, nisi intra supernam superficiem nasi, profanum, fallacē, & iracundum significat. Caperata frons, & rugis contracta, in medio tamen decliuis, vna cum magnanimitate, & ingenio habet uitium crudelitatis. Oblonga etiam cū facie longa, & mento tenui, crudelitatem & tirannidem ostendit. Ast frons confusa instabilem. Cocles autē de frōte, inquit, quibus parua, vel rotūda, iracūndi, sed Aui. Frons lata stultum indicat, & Conciliator, cuius frons est vehemēter magna piger, et grauis iudicetur, at Rasis. Parua & angusta fronte hominem stolidum, indocilem, voracem, & mobilem dicimus. Verum frons rotunda ostentat iracundiam q̄uis & insensibilitatis inditium est. Op-

positorum oblonga signum est, quia & docilem prodit, & prævalentem sensibus. Rasis etiam, nimis spatiosa, & lata segnitiei inditium, & rigidi oris, ingenij, ac prauæ discretionis notam profitentem. Quadrata vero, & capiti respondens, eruditum, sapientem, & magnanimum indicat hominem. Sed tristis frons, languentis, siue mœsti signum euidens est, & frons rugosa rixantis est, at valde rugosa verecundi.

De Supercilijs.

SVPERCILIVM Est pars illa vultus, sub concauo cuius Natura posuit oculum, quem cilio optimo tegmine prætexit. Et supercilium ideo vocatur, quia stat desuper cilium, & duo natura consistunt, ex quibus potissimum etiam depromitur indicium, circa probitatem æque improbitatem hominis. Nam & Arist. erudiens Alex. Supercilium dixit, quod habet multos pilos, signũ est ineptæ loquutionis. At cuius supercilia extenduntur ad tempora, sordidum, siue inmundum indicant. Cuius autem rara, & secundum quandã proportionem seruant longitudinem, ac breuitatem, & magna fuerint, facilis impressionis erit ille cunctis in rebus percipiendis. Et supercilia valde pilosa, inditium, vaniloqui, atque inepti sermonis sunt. Et densa & pilosa plurimum, dum in radicibus nasi iunguntur, signũ est iniqui, crudelis, & proni ad biliosa. Is etiam fal-

lax & homicida, malus enim habitus huius concretus est ex bili vrenti. Ideo Indagine, supercilia pessima oīum sint concreta, & quæ contingunt se, notantq; maleficum, plagearium, maleficis artibus deditum. Quod & nos vidimus, ut uidit & ille, in viris, & fœminis annosis quæ ueneficæ dicuntur. Lenas etiam & Lenones hos quoq; iudicabis, & quibusuis pessimis circumdatos sceleribus. Sed densitas pilorū in supercilijs non coniunctis designat cogitabūdum plenumq; occulti mœroris. In hoc etiam homine dominantur bilis atra, is nāq; succus est causa plurimarū cogitationum. Pili autem e supercilio pendentes ad nasum vsque ex latere vno, ast ex alio tendentes ad frontis angulum, signum est furentis, inuerecundi, instabilis, inuidi, insatiabilis ac stolidi. Ast rari dispares, uel disiuncti, scrutatorem occultarum, & laudabilium operum repertorem, atque optimi temperamenti hominis inditium est. Protensa uero supercilia, indicant amantem nefandorum, venereum, & plenū arrogantiæ, quod in senescenti viro etiam suscipit incrementum. Sed prolixa supercilia, & lineis disiecta, mulierosum malumq; hominem perhibent, at cui ut casura pēdent, mulierositatis, et inuidiæ signum est. Prolixa, cruciatus indicant mentis. Gracilia et instar arcu, studiosi atq; optimi ingenij sunt testes. Talia etiam & si iunguntur in superficie nasi, idem significant; & paulo quid acutius. Sed Scotus, supercilia uocauit cilia, itaq; tradit ex pendentibus cilijs dolosum, fallacem, men-

dacem, proditorem, tenacem, pigrum, secretum, & pauciloquum comprehendamus hominem. Idem etiam, uius cilia sunt valde breuia, & in colore alba, siue flaua, significant quasi ad omnia conuenientem, debilem, timidum, facile ac cito credentem, & conuertibilem.

De Cilijs.

CILIA Sunt cohoperimenta oculorum, a celo dicta. Celare.n.est abscondere. De pilis igitur ciliorum, vt de superciliorum pilis iudicatur. Itaq; pili tenues indicant dominium bilis, hunc dicimus dolosum, vafrum, maledicum, atq; omni uitio pollentem, vt proprium est biliosæ temperaturæ. Cilia vero cum tegmine si plena fuerint carne, & dum quasi turgida apparent, & caliditatem indicant, & rapacitatem. Fugiendum est ergo a biliosis. & Angulus plenus lachrymis, calidum etiam, ac versutum perhibet hominem. Sed cui turgent cilia, vt si qua flatuositate essent plena & oculis prominerent, aspectum indicaut ebetem uel u sum, atque hominem ignauum. Sin uero crassitie plena, & procliua inferius uidentur cum rubro colore in circuitu, uinosum significant, & damnosum. Cum autem ciliorum pili inferius flectũtur, aut aliquo torquentur, signũ erit uersutiæ, & mendacij. Oblongi etiam pili ciliorum, fidelem perhibent amicum, cui fuerit amicus, audentem in rebus, & duræ ceruicis, nonunq; & acuti ingenij idem

est inditium. At cilia prætegentia inferius tegmen oculorum longeuitatis sint signum.

De oculis.

A V I. Ter. Can. *vbi de cognitione dispositionũ oculi, scripsit, quod cognitio oculorum est ex tactu eorum & motu, ex venis, & figura, ex colore eorum, ex quantitate ipsorum, ex operationibus proprijs, ex dispositionibus eorũ, quod currit ab eis, & dispositionibus passionum eorum. Ex isdem proculdubio signis & mores noscuntur hominis. Igitur ex tactu concipimus, calidum siue frigidum, aut siccum, seu humidum, uel leuem etiam, demũ hæc inditia, & biliosi habitus, & sanguineæ temperaturæ, & super auctæ pituitæ, & melancolicæ complexionis testes sunt. Itaq; ex tactu calido, & naturali, ac sicco, biliosam dices temperaturam, ex rubro colore cognosces iracundũ, elati animi, atq; irascibilem, verũ ex contrario tactu frigidam, vel e molli humidam comprehendes* Naturam *hominis, hunc etiam proferes, infidum, sæuum, impudicum, & falsiloquum, q̃uis idem & simplicitatis est inditium. Ex motu, cũ micant oculi aut veloci quoddam motu mouẽtur, perhibent mulierosum, amantem mendacij falsidicum, infidum, pertinacem, & uix sodali credentem, demum et proditoris habentem proprietates. Duri etiam & tardi motus oculorum, accusant litigiosum segnem, falsiloquum, &.*

in plurimis rebus uersutum. Ex *uenis, si turgidæ & magnæ, mollem habitum indicant, si graciles & strictæ biliosam temperaturam.* Ex *primis itaque comprehendes hominem ueridicum, & bonis moribus ornatum, ac probitate, & cordis facile cuncta pandentem.* Ex *figura, si decens bona, & iucunda fuerit, bonitatem etiam arguit.* At *si tristis, ac odibilis erit indicabit oppositum.* V*erum ex quantitate, dicendum, est ut diximus de capite.* I*mmensi etenim oculi, & qui haud quaque cilijs possunt prætegi, ignauiæ sunt signum, & simplicitatis, nonnunquam & fortitudinis.* T*amen habens magnos oculos, iracundus est, sæpe mendax, immemor, obtusi ingenij, & modicæ capacitatis, vulgo dicitur.* P*aruuli etiam, arguũt inuidum, mendacem, litigiosum, superbum, scelestem, & mulierosum, præcipue cum in conuexo reclusi fuerint.* Ex *operationibus, vt si cito, uel tarde efficiunt quod est proprium illis.* S*ed acutus uisus & studiosus intuitus est inuidi, mendacis, impij, falsi, taciti & omnis sceleris auctoris.* S*ed qui hirquis intuentur oculis, sunt celeres, dolosi, iracundi, mendaces, inuidi, falsi, & in quibusdam offitijs scelestissimi.* Ex *dispositionibus, ut diuersi intuitus, & vagi prospectus, vani, simplices, mulierosi, inuidi, mendaces, ac litigiosi reperti sunt.* H*i etiam facile præstant fidem quicquid recitantibus.* At *cuius subalbidi, siue glauci oculi fuerint.* V*anilo quum, infidum, fallacem, iracundũ, ac mendacem indicãt.* V*erum, oculi admodũ rorãtes uel rubris lachrymis præ-*

texti aut sanguine, ut essent illiti, accusant sæuum esse, inhonestum, infidum, simplicem etiam, et pietate plenum, nonunquam & perquam mendacem. Igitur media ex dictis omnibus colliges. & habentes oculos mediocris formæ, uergentes potius ad fuscum colorem, quam ad quemuis alium, eliges in amicos, & seruabis. Quoniam hi humiles, boni intellectus, & bonis consentientes, quia optimis moribus ornati sunt. Hi quoque pacifici comperiuntur, sed Arist. ad Alex. magni oculi inuidum perhibent atque impudentem, liuidi pigrum, cœlestis coloris, uel fuscioris fidelitatis, & boni intellectus est inditium. Extensi uero cum procliuitate uultus, nequam & dolosi signum. Asininis, oculi, consimiles, insipientis, & duræ naturæ testimonium. Crebri motus ex acuto uisu proueniunt, hoc tamen signum est, & fraudis, & infidelitatis operculum. Hoc idem furciferi signum est. Ast oculi rubri efferunt animi fortitudinem. Pessimi autem sunt omnium maculosi. Sed macula est quid albidum, siue nigrum, uel rubrum etiam circumquaque. Tales itaque sunt fugiendi. At cuius oculi creberrime mouentur cum protenso intuitu, inditium est dolosi, & furis. Idem sensit & Conciliator. Protensi etiam & fixi intuitus instar lasciuæ mulieris indicant cupidineum. Sed firmi prospectus oculorum, sunt inditium pensitationum, cupiditatum, & deceptionum. Tales Rasis, retulit esse fures. Posthac autem quæ sumus dicturi de oculis compendiose dicemus. Oculorum plumbeus, siue liuidus color, su-

perabundantis

perabundantis sanguinis grossi inditium est. His quoque color, malum atq; iniquum hominem esse prodit, & si cætera laudabilia apparuerint, vinosum itidem indicat, & proditorem. Et paruuli oculi deceptoris sunt. Profundi, timoris signum, & fraudis, rixarum, & mulierositatis. At situs oculorum secundū longum prauarum rerum contrahendarum inditium, & deceptoris. Ex maculis, & labe diuersa, diuersitatem morum cōprehendimus, & aceruū vitiorum, ac scelerum, & quanto vberior erit labes tanto deteriorem argues. Sed cuius oculi ciūt risum, is iucundus est, & longeuus. Tamen si facies eorundem sequitur proprietatē, aliquando signū erit deceptoris, uenerei, et adulatoris. Cuius oculi sunt rubri instar carbonis, nequissimus is est, ac pertinax. & Capræ similes, stolidum peribēt, atque fatuum obturbidam varietatem. Parui etiam prominentes insipientis sunt. At erecti in cœlum, et paululum rubri, neq;, insipientis, & vinosi inditium. Sed virum bonum cognoscimus ex cœlesti colore. Varius autem oculorum color eruditorum est. Sed magni oculi cum protensis superciliis, breui tempore perituri testimonium, secundum Ptholomæum, & cuius vna oculi circūuoluuntur, is nefandus est & carnifex. At oculorū albedo honorificæ uitæ signum. Paruuli etiam cū veloci motu iniquum indicant, & oblongi cū protensis superciliis, virtutis signum, & vitæ breuis. Paruuli, & rotundi oculi, cū pallenti vultu peribent in maleficiis recidiuum. Sed par-

nuli tantum, timiditatis, magni vero tarditatis sunt inditiũ. Itaq; medios inter dicta beati possident, Et concauitas oculorum versutiem ostendit, protensio fatuitatẽ, verum mediocris oculorum situs virilitatem præfert. Sed acutus visus & protensus, hominẽ suspectum, & prauorum morum, optimæ memoriæ, dirum etiam & mulierosum accusat, at rubra profluens ab oculis guta signum est sceleSti, & animi turbati. Tamen oculi paululum procliui ad fuscedinem, bonitatem ingenij, generositatem animi, iustitiã, & probitatem indicant. Sed nigræ gutulæ in oculis signũ venefici, bonitas etiam hominis è fusco, & diuerso colore cognoscitur. At rubentes oculi & fusci, generositatem pro ferunt domus. Verum magni & candore pleni, æquum, sapientẽ, & iniquorum persequutorem ostendunt. Tremuli leuitatis, & mobilitatis signum. Ast oculi qui ciunt risum, mulierosi, & impudici testimoniũ. Lipposi ebrietatis & somnolentiæ inditium secundum Arist. & quibus non clauduntur oculi dũ sopore irigantur signũ est amentiæ. Et oculi valde nigri timiditatẽ arguunt, flaui perhibent animum bonũ. Glauci & albi timidum. Flammei siue ignei, raptoris sunt. Et qui hirquis intuetur oculis venereus est, ac mulierosus. Verum Indagine, est autem coniectura talis, sic vbi videris quempiam benedecentibus oculis præditum, atq; ijs vigilantibus, apertis, lucidis, claris, mediocribus, atq; rotundis admodum. Ex ipsa proportione animus metiendus, integer, et sanus. & Gal. ubi de

magnitudine & paruitate oculorum. Magnitudo inquit, ubi concinitas adsit, & operationum uirtus, multitudinē bene tēperatæ substantiæ ostendit. Paruitas uero oculorum adiuncta quidem concinitate, ac virtutū operatione, paucā quidem sed bene temperatam substantiam ostēdit, ex qua sunt confirmati. Contrarie uero oppositum. & Gal. indis. Medice. Oculi autē constant quatuor Tunicis, neruosi sunt & subiectorum colorum, & figurarū differentias percipiunt, & decernunt.

De Naso.

ANTIQVVM Est prouerbium de Naso. Quia pro dicacitate, & acrimonia ponitur. Propterea dicitur habere nasum is, qui uenusta & subdola quadam irrisione aliū deridet. Tamen cum quis modo nasutum conspicit, confestim profert illum esse terribilem, quia nasus præ cæteris partibus vultus habet quid latentis consortij cū corde, magis q̄ aliæ partes eius. Cui nāq; parti cor magis fauet. Dignum est q̄ pars illa monstretur excellentior omnibus alijs partibus, quod & in ægerrimis vult Hypp. q̄ primum perspiciatur, dum retulit. Nasus compressus ni talis fuerit, & saluberrimi inditium est obitus. Ex formis igitur eius, & simus nasus est, & aquilinus, & subrectus, Gal. autem super dicta sens inquit. Considerandum est ut inquantum a naturæ forma recessit, intantum ipse

prauus existat. Itaque nasus compræssus plane apparet in illis qui longiore morbo exoluuntur, aut animo liquantur, & item omnibus defunctis. Demũ nasus protensus probitatis & audaciæ signum, & calidæ temperaturæ inditium, & iracundiæ testimoniũ est. Ideo Arist. ad Alexan. Qui habet longum nasum protensum ad os, est audax & probus. Longus autem & gracilis, iracundi, audentis, sollicit, & mobilis inditium est. Crassus uero, et obesus, & in supremo, ut supræssus paululum, & bonũ intellectum, & pacificum animum, & fidelem perhibet hominem. Simus autẽ nasus impetuosi, & biliosi etiam habitus est demostratio, quamuis idem, & mendacis, et mulierosi, & inertis, & leuis testimonium est hominis. Subrectus siue retortus nasus, superbi animi proditor est, auari, uenerei, uaniloqui, inuidi, litigiosi, atque etiam insidi. Sed cui turget in medio nasus, proferes mendacem, importunum, mulierosum, uafrum, & insipientem potius quàm sapientem, quamuis & bonitatem ingenij idem indicat. Flammeus etiam siue ruber nasus, & fibris simillimus, impij atque uinosi signũ est. Sed Io. Indagine, aut sane rubeis fibris intertextus, uel punctulis, Egregiũ potorem elice, ebrium, siticulosum, calido epate, deditum luxuriæ, ex egritudinibus uero morpheæ. Scotus autem cum nasus fuerit in extremo aliquantisper pilosus, & undique crassus, et in iunctura frontis parum gracilis, boni inditium hominis est. At ex omni latere crassus hebetis ingenij hominem, mẽ-

dacem, iracundum, vanum, & maxime fallacem indicat. Demum proferes nasutum, dicacem, redargutorem, & derisorem. Verum sumpta mataphora ab animalibus. Dices nasum repræsentare prudentiam, & sagacitatem. Prudẽs enim ac sapiens est qui odoratu cuncta obstrusa ꝑcipit.

De Naribus.

DVO Spiramina nasus, geminiq; hiatus, quos ueluti quidã paries per medium ductus interſæpit, nares vocãtur, sunt autem strictæ, & compressæ nares. Latæ ergo indicant luxuriam hominis, mendacium, cupiditatem, obtusum ingenium, & timiditatem. Vnde communi sententia magnorum sunt proditores, & testium, & mendacij, & dolositatis, ac vanitatis, non unq̃ & modesti signum, in operibus. At Scotus. Cuius nares fuerint ualde obtusæ, perhibent insipientem, uanum, mendacem, superbum, asperæ fortunæ, & pugnacem.

De Labijs.

LABIA Sunt partes oris quibus amãtes dant, recipiũtq; dulcia basia, & quibus noua nupta palam inserit oscula, & quoq; carpit in tenebris, instar gerentis in vtero, quæ remoto custode nouellos fructus studiose legit. Ideo propter communem basiorum affectationem præcipue pul-

cherrimarum. Arbitramur quod natura inseruerit labijs suauissimas proprietates, de quibus, tum tenuia, tum crassa, tum gracilia, tum distenta, tum porrecta, cum etiam obuersa cōperiūtur. Sed a quibus dulciora legūtur basia, iudicio vtemur communi, ex tenuibus, & paululum porrectis, fatemur e crassis nequaquam, nam, ut bouinis labris quisspiam occipitur illis, sed gracilia, ob pauperiem succi, quo aluntur sunt causa contritionis dentium, osculando. Quod non est incitamenti basiorū, verū, recusationis causa. Quod si verū sit, proculdubio experti approbāt, & quāto magis rubra fuerint labra tanto sunt oblectabiliora, quia succi plena sunt. Est etiam inditium hoc, bonæ temperaturæ, & purissimi sanguinis. Liuidus autem color prodit oppositū, & quoque inditium est occultorum affectuum. Sed tenera labra, pauidi, & vafri signum, ast tenera mediocriter & parum prominentia, biliosi, solliciti, & magni intellectus testimonium. Valde uero prominentia, iniuriosi, malefici, litigiosi, & biliosæ temperaturæ accusatio. & disproportio labiorum, insipientiæ signum est. At supernum labrum porrectum, infernum vero compressum, siue submissum, malorum morum & calamitatis sunt inditium. Crassa etiā, obtusum ingenium, atque insipientiam accusant. Tenera vero ac mollia præcipue, dum vna, ac pariter iunguntur sunt testes generositatis. Quod & Arist. prodit. Qui autem crassa labra habent, & labrum superius inferiori protendentes, fatui sunt. Qui vero superius, consi-

miles, & gingiuas habent, & gestant prominentia, amatores sunt contumeliarum. At labrum inferius procliuum & molle, in iuuenta, & pueritia, est inditium lasciuiæ, quod etiam accusat, & Cinedum esse. Sed Indagine, prægrandibus autem labris, & quibus dependet labrum inferius, adeo, ut emineant dentes, bardos, stupidos, indociles, impuros, luxuriosos, inconstantes, et malos dicimus esse.

De ore.

OS Est pars vultus illa. Cuius in concauo & linguam, et dentes posuit maximus rerum conditor. Est igitur os magnum factum arte naturæ, est etiam ut fabrefactum et recisum ferro. est & paruum, & circulare, & contortū. Os ergo magnum & ualde hyans, obtusi ingenij, loquacis, impudici, insipientis, & audentis, inditium est, & mulierosi hoīs testimonium. Paruum autem os siue angustum, prodit oppositum. Præterea taciturnum amantem requiē, fidelem animum, & auarum indicat hominem. Sed paruum os, ac circulare, & contortum, dementiæ signum & biliositatis. Sunt etiam ex hominibus qui dum loquuntur torquent os, quod est inditium dolositatis, & falsa plerunq; prodentis. Idem est signum directi animi, & versuti, q̄uis pleriq; ferunt e uitio succorum affluentium tortuositatem esse productam.

De Mento.

MIRAMVR Quod pauci de phisionomis scripserint

de regulis menti, cum mentum etiam est pars vultus. Itaq; dicendum fuerat, ut de reliquis partibus eius dictum est, ni pataucrint partem hanc. Cum regulis barbæ declarandam, quod, si fecerint, vellem exponerent nobis, an barba, & mentum sit idem. & quamuis apud vulgares barba & mentum uocetur, apud peritos idem non esse, constat. Ideo arbitramur q laudabile esse, ex hac parte etiam recensere naturæ regulas. Mentum igitur uel est acutũ, uel gracile, siue procerum, uel deforme procerum, aut per breue & paruulum, seu etiam præssum, atq; in medio ut disiectum, aut foueam habens, uel maxime obesum, Postremo & recuruum. Demum gracile, atq; acutum, iracundi, biliosi, uersuti, & mala audentis est inditium. Procerum itidem indicat, & magis, quia sæuissimi animi testimoniũ est, & ualde procerum, subdolum, auarum, & quouis scelere circumuentum indicat. Breue autem & paruulum, quid immane portendit. Propterea is est uitandus præ cæteris. Pressum in medio ut disiectum inditium est mulierosi, itaq; is est amabilis, & maxime obesum signum est quietis, mulierositatis, obtusi ingenij, & sectantis luxuriem. Recuruum vero testis est simplicitatis. Idem etiã dolositatis, & nefandorum uitiorum, signum est.

De Barba.

BARBA Dicitur pilositas quæ protenditur ab altera maxillarum, et aurium ad alteram usq;, prætegens mentum

tum

tum & labra. Demum barbam, & densam, & raram prolixam, & hirsutam conspicimus. Verum de coloribus, nigricantem, flauam, rubram, & canam, aliorumq; diuersorum colorum, ut vulgo conspicitur. Nos autem iam retulimus colorum diuersitates, cum de pilis tractauimus. Nã quæ ibi scripsimus de raritate, ac densitate pilorũ, hic quoq; possunt afferri. Tamen pauca hic etiam quædã enucleabimus, ne uideamur altum gurgitẽ sicco pede velæ per transire. Rara igitur barba in viro adulto cum maxillis obæsis, bonitatem animi, & luxuriem prodit hominis, idẽ etiam & leuitatis, simplicissimæ, et probitatis inditium est. Dẽsa autem perhibet rationalem, sed valde densa, signum est atræ bilis. Itaq; procul, is est fugiendus, ob furorem bilis. Prolixa, est operimentum magnorum, ac nefandorum conceptuum. Hyrsuta vero, testis est biliosæ temperaturæ, atq; animi iracundi. Decens autem, & iucunda cõspectu, bonitatem indicat, sed depilis barba accusat malæ vitæ transitum. Verum de cæteris, & omnibus coloribus haud aliter proferes, q̃ retulimus de coloribus pilorum.

De Vultu.

ET SI non propter aliud, Natura meret laudem, procul dubio, meret propter diuersitatem formarum vultus, quoniam vix inuenimus hominem hactenus, qui vultu conformis esset alterius vultui. Ast, quod Plautus retulit, de

fratribus sim illimis, putamus figmentum fuisse. Nihil autem in quouis homine tam pulchrum est, seu tam venustū, ꝙ præripiat vultus præstantiam. Nam occurrentibus cōfestim, in faciē tāꝙ in pulcherrimā ꝑtem vertimus oculos, quia decens, ac uenusta facies, albi coloris immixto oblectabili rubro, valde est amabilis. Et hoc est inditium sanguineæ temperaturæ, maxime, cū vultus non fuerit valde obæsus, siue nimium gracilis, verū medius inter hæc. Albus etiam color inditium est pituitæ, valde albus testimonium est imbecillitatis, tarditatis, segnitiei, feminei, & mollis, ac frigidi hominis inditium. At candidus, & subrufus, designat alacritatem, & animos. Fuscus vero color operimentū est atræ bilis, cuius est fugienda consuetudo. Rufus autē color qualis sit, iam monstrauimus, is namꝙ scelere alios antecellit. Ideo ꝙ sit amabilis, superius mōstrauimus. Cuius ergo maxillæ prominent, & in medio vultus apparet, ut quidam tuberculus, pronūciamus hunc subdolum esse in quibusdam non necessarijs rebus. Ast parua facies cum dictis signis designat inuidum, & animū perhibet violentum. Sed ruber vultus signum est iracūdiæ, et vbiꝙ suspecti animi inditium. In quibusdam etiam signū est ebrietatis, sed liuidus color timorem prodit, & niger metum, cogitationes, & astutias indicat. Subuiridis testis est mala machinantis, ni morbus causa fuerit. Sed leuiter rufus color, recte compositi, docilis, & acuti intellectus testimonium est. Ardens vero color signum est

insani, sed facies oblonga cum maxillis prominentibus, tam audentis, quam fallacis, atque iracundi, testis est. Et macer vultus *bonitatis ingenij signum est, atque solertiæ.* R*ugosa facies inditium est mollis, & fœminei, obæsa cupidi signũ.* Breuis *vultus, testis est tardi, atque inertis.* Ideo Arist. in Tractatu *de Phisionomia*. Medius *habitus, vtiq; horum erit conueniens.*

De Auribus.

INQVIT *Gal. Aures neruis, et Cartilagine constant, habentq; uim percipiendarum vocum, & eorum quæ in eis sunt, differentiam assumunt, & ab auriendis vocibus dictæ sunt aures, & sub triplici forma comperiũtur, magnæ, uidelicet, & paruæ, at quædam & oblongæ conspiciuntur.* Ex *his etiam, ut ex cæteris partibus capitis depromitur iuditium. Sunt autem graciles, crassæ, et subtiles aures. Sed magnæ & graciles in melancolicis habitibus frequentius conspiciuntur, & sunt inditium garulitatis, atque insipientiæ. Sed ultra modum magnæ dementiæ signum.* Maximæ, *& segnitiei, & stoliditatis testimonium, quamuis, & longeui temporis, & copiarum sunt testes, ut sensit* Ptho. V*erum tales hebetis ingenij reperiuntur. Sed paruæ aures, & doli, & uitæ breuis indices sunt, & neque hominis signum.* At *longæ, & subtiles aures obtrectatoris atque inuidi sunt.* Paruæ *autem & graciles boni-*

tatem perhibent intellectus. Aures uero circulares habentes, sunt indociles, compressas autem gestantes instar formam Emicicli, bonitatem ostentāt propriam. Demum aures patulæ pigritiæ, & tarditatis sunt signum.

De Collo.

COLLVM Est pars nostri corporis, quod, infra caput humeros, & nucam maximus rerum conditor posuit. Et ideo partem hanc collum uocamus, quia illam ualde colimus. Armilis etenim & monilibus circundamus illud, uelut esset quid sacrum, & collum diuiditur in guttur, et ceruicem, & guttur est anterior pars colli, ceruix uero posterior ab occipitio inferius. Est igitur collum, crassum, & obesum, tenue, uel macre, breue, & oblongum. Sed atque obesum uirorum est, ut plurimum. Tenue uero, & macre mulierum. & crassum, biliositatis, & inexequendis rebus inditium est celeritatis. Crassum etiam & depressum accusat in nefandis sollicitum, sed in opere laudabili hebetem. & collum neruis obductum, claritatis, ac magnanimitatis est operculum. Sed crassum, & angustum, signum est insaniæ & gulositatis. Verum, collum tenue & macre, & feruentis bilis, & audentis, & calidi hominis est inditum. Tamen oblongum collum, timētis est, & frigidi cordis, & cerebri testimonium. Collum autem ad quamuis partem contortum, signum est infidelitatis, astus, verbositatis, & ignauis solertiæ.

Collum ergo medium, & concinæ, indicat hominem esse aptissimum cunctis virtutibus.

De Gula.

SCIMVS Omnibus hominibus notum esse, Collum eam partem corporis vocari, super quam Natura caput constituit, eidemq; naturæ, placuit, ut pars posterior colli, ceruix, anterior uero gula diceretur. Gula autem, & ceruix collum est, sed hanc priorem partem, ob quandam angustiam, uolunt tale nomen sortitam. Ideo quicquid de collo dictum est, idem dictum sit putamus, de ceruice, & gula. Verum enimuero hoc tantum notandum est, quod mulieribus sit maior amplitudo gulæ, q̃ viris. Demum cuius membra & partes decenter compactæ fuerint, illum dicimus in omnibus præstantiorem, illo, cuius membra & partes angusta fuerint. Tandem eius, virtute inexplicabili, cuius diffinitio est finē in sanctis laudibus nō habere. Primum Tractatum de Phisionomia, ad finem perduximus.



M. ANG. BLONDI DE PHISIONOMIA TRACTATVS II.



RBITRAMVR Quod eruditi sciant, quãtopere bonis artibus fauendum sit. Ideo si Viri optimi, aliquid faciunt dignum maioribus; Quo festinantius illud nunciant, eo, maiorem assequuntur laudem. Quorum vestigia, dum proposuimus imitari, vt cœpimus, opus prosequemur, ut quisq;, & bonos legat, & imitetur mores, vitia uero fugiat, cum cognouerit, ex partibus, atq; ex toto corpore, ut retulimus, & referemus.

De Humeris.

HVMERI Dicuntur partes humani corporis, quæ incipiunt a finibus colli, & extendunt se vsq; ad brachia. Namq; ab humeris pendent brachia. & quoniã has partes, natura oneri supposuit. Ideo & ab humo nomen illis imposuit. Nempe ut humus totum onus nostrum suffert, ita & humeri pondus ferunt, quemadmodum perspicitur in Agricolis, & Militibus etiam, quibus singulis propria arma pendent ab humeris. Euntes. n. in propriam militiam exemplo sunt nobis ijs quoq; temporibus. Itaq; hu-

meri sunt lati, atq; angusti, & lati fortitudinem præferunt, arguunt etiam prudentiam, angusti indicant imbecilitatem; sunt quoq; inditium deffectus, & animi & corporis uitium. Sed lati humeri sunt signum biliosæ & sanguineæ temperaturæ. Graciles, breues, & angusti, melancolicæ habitudinis demostratio, & quis erectis humeris incedit, is sæpe mendax, frequenter audax, plenus iurgio; in proposito instabilis, atq; inuidus est, & si nonunq; conatur optimi viri perhibere proprietatem. Verum is in hoc, magis se ipsum decipit, q̃ amicos. Demissis autẽ humeris hominem, præsertim gracilibus, porrigentem, & collum ciconiacum, dicimus, ineptum imbecillem, & pronum in marasmonem.

De Brachijs.

CVM Quis fortis haberi cupit, tũ illũ oportet fortia brachia possidere. Consueuerant.n.et Prisci Armillis ornare brachia, quia æstimabant ea peperisse victoriam. Cuius ergo brachia extenduntur ad genua, is forti pectore habendus est, atq; insignis humilitate, cui uero erecto, palma manus protenditur super genu, is dominij cupidus est, peracuti ingenij, atq; in rebus agendis sagax dicitur. Brachia etiã protensa ad genua, indicant animæ nobilitatem, & hominis arrogantiam. At cuius brachia, ilia, & fæmur vix prætengunt, is vafer est, atq; inuidus, isq; aliorum aduer-

ſis caſibus exilarat, ut proprio lucro. Breuia etiam brachia timoris, & doli ſunt ſignum. Sed Scotus, cuius brachia ſunt valde piloſa, ſiue macra, ſiue craſſa fuerint, & mollis carnis, ſunt inditium luxurioſi, teneræ capacitatis, ac debilis ſignum. Multi ſuſpectus, & ſagaciter luxurioſi, teſtimonium. Verum cuius nuda fuerint pilis, perhibent iracundum, cito credentem, uanum, laſciuum, mendacem, vafrum, vtiq; & fallacem.

De Manibus viri.

DE Brachijs ad manus deſcendere congruum eſt, quid itaq; ſint manus. Putamus cunctis notiſſimum eſſe. Manus autem maximus rerum conditor fecit magnas, paruas, gibboſas ſiue compactas, & decentes; quæ nec procere, nec breues, neq; gibboſæ, ſiue compactæ ſunt. Sed mediæ inter dicta. Differunt autem manus viri, a manibus mulieris. Sunt.n.alterius, graues, duræ, magnæ, ac fortes, oppoſitum vero conſpeximus in altero, quia molles, leues, concinæ, & minus fortes ſunt. Durities ergo grauitas, & magnitudo manuum, in pleriſq; eſt inditium immenſi laboris, ut in Nautis, & in Agricolis perſpeximus. Verum cum fuerint tales natura, generoſæ fortitudinis erit teſtimoniũ. Hi etiam vino occipiuntur, comperiuntur, & uenerei. Craſſitudo quoq; manuum, ſignum eſt animi inquieti. Sed craſſæ, & præpingues manus, arguunt indocilem, atq; be-

betis

betis ingenij, at crassæ tantum, vafrum perhibent hominem & insidijs studentem. Sed tenues manus, & gibbæ, gulosi inditium. Manus rectæ, testes verbosi. At conclusæ, iracundi, ac furentis signum. Et motus frequens manuum, testis est, doli, inuidiæ, atq; ornati sermonis. Manus etiã tremulæ, biliosi animi, indicant promptitudinem. & rubræ signum vinosi, & sanguineæ temperaturæ inditium. Sed manus graciles, & proceræ, arguunt dementiam, ac desiderium tirannidis. Manus autem corpori respondentes, concinnæ sunt. Itaq; talem confitemur aptum esse, atque idoneum in omnibus.

De Manibus Mulieris.

ET Si dicta de manibus sunt communia humano sexui. Tamen quædam etiam propria Mulieri tantum notauimus. Quia paruulas manus mulieris nouimus inditium esse nefandæ Veneris, easdem etiã rudis ingenij testes. Sed manus strictæ, ac breues sunt inditium difficillimorum partuum. Hoc idem etiam signum est compactæ vuluæ. Rubræ autem manus mulieris indicant sanguinis dominium, & testantur venereos, insatiabiles appetitus.

De digitis.

IN Vtraque manu palam apparent quinq; digiti, dicti quasi digesti, quia notabili serie digescit natura, ac disposuit illos.

Et primus digitorum Pollex nūcupatur. Alter index, qui et salutaris dicebatur ab antiquis, a quibusdam infamis, et famosus vocabatur medius, & verpus. Anularis subsequens, qui medicus, et medicinalis dicitur. Paruus postremus ue, siue minimus vocatur. Itaque ex digitis sunt longi, et breues, crassi ēt, et pingues, et quoq; graciles in quibusdam, recti, siue distenti, ac disiuncti, seu cōtorti in plerisq; perspiciuntur. Longi demum digiti, magni iocinaris sunt inditium. Breues autem indicant oppositum, At crassi, & pingues, inuidi, & audentis testes, & quoque pituitosæ temperaturæ sunt signum. Crassi vero digiti ex omni late re, accusant hominem suppositum aduersis casibus, perhibent & paupertati obnoxium. Graciles autem designant optimum ingenium, & iniustum animum admodum, & sagacem. Recti etiam digiti signum fortunati. Contorti siue disiuncti aduersæ fortunæ testimonium. Collecti siue cōpacti designant hominem auarum, atque iniquum. Cuius vero digitorū extrema fuerint crassa, dum erit diues depauperabitur. Per oppositū autem, locupletabitur. Sed curui digiti, mendacem, obtusi ingenij, & venereum designāt. Ast contorti retrorsum, iracundi, boni intellectus, & solertis sunt inditium hominis.

De Vnguibus.

GAL. In dif. Med. Inquit vnguis ossis est superficies, vel cutis corugatio dura, & sicca. & alibi vngues, ex ner-

uorum extremitate concreti, ornatus, & decentiæ gratia, a natura dati sunt, ut quipiam tenatius digitis eorum beneficio adiuti comprehendamus, contineamusq;. Alij sic definiunt, vngues sunt, cutis, siue pellis eruptio sicci quidem, & frigidi, atq; sensus expertes. Sed hominibus latus est vnguis, rapacibus vncus. Cæteris vero animalibus, rectus est. & dicitur quod vnguis producitur ab excremētis cordis, & quoniam plures sunt, molles, & duri, plani, asperi, albi tenues, subrufi, paruuli, nigri, curui, reflexi, & rapacibus persimiles volucribus. Sunt etiam ungues in medio concaui, ut foueam habentes, sunt & longi maculosi, & sine maculis reperiuntur. Sed molles indicant bonitatem ingenij. Tenues & subrufi, quod & albi significant. Circulares rapacis sunt, paruuli arguunt paruum hominem. Nigri accusant iniquum. Curui signum imprudentiæ. Et qui rapacibus similes sunt volucribus, tabidi sunt, & foueam habentes ignorantiæ testimonium. Longi uero secundum Pth. paupertatis sunt indiiium. Sed maculosi vngues, & bonum, & malum hominem indicant quod discernitur iuxta macularū colorē. Dum ergo maculæ fuerint albæ, siue aspectus iucundi, probitatis sunt testes. Oppositi uero offerant oppositum. Tamen Cocles, dixit, ꝙ puncta alba præsertim in digito solari, indicāt amplum honorem, offitia, & familiaritates cum nobilibus. Puncta autem nigra voluit signarent, damna, & persequutiones, carceres, & cuncta detrimentorum genera. Vult etiam.

idem quod ijs experientia contradicat. Namq; uidit quod puncta alba, & nigra inducebant accessum, & recessum. Putamus, honoris, atq; hoc tribuit planetarũ motui. Quæ bono cuiq; Phisionomo diserenda supponimus. Quibus ẽt decidunt vngues hi lepra sunt infecti. Et qui nascuntur sine vnguibus ijs parens usa est plurimo sale. Et qui debiles habent ungues, hi multo etiam utuntur sale.

De pectore.

CVM, Autem fuerit necessarium depromere iuditium ex partibus prætextis. Tum a pectore inchoando, dicimus quod pectus est pars hominis anterior, a gula ad uentrem usq;. & pectus compactum est ex costis, quæ sunt eius firmamentum. Hanc etiã partem plurimi appellant Thoracem, quem Gal. retulit, venis arterijs constare, respirationi accommodatum. Est igitur pectus latum, & strictum, tenue, carnosum, & compactum, prominens, et pilosum. Sed latum pectus, probitatis signum est. Strictum uero stoliditatis indutium. Tenue, imbeciles uires, et animi defectum accusat. Carnosum, & compactum, magni ingenij testimonium. Eminens uero pectus. Signum maxime hilaritatis; & tristitiæ frequentis. At depile, indicat hominem timidum, seu pauidum, pilosum autem audacem, & iracundum, sed pectus magnum, inditum magni cordis, & maximæ caliditatis signum est.

De Costis.

OSSA Ex quibus pectus compactum est, vulgo Costae uocantur, & sunt partes ex quibus etiam solet capi indicium. Ideo distinguentes dicimus costas masculinas, & foemininas. Verum costae masculinae sunt latae, amplae, & magnae. Femineae autem, arctae, & breues. & oppositũ masculinarum significant, quia masculinae roboris sunt inditium magnae. Amplae, testes virium, latae uero fortitudinis signum. Obesae etiam, & carnis ubertate praetextae, stoliditatis tegmen. Tumens vero caro super costas, ut spiritu plena testimonium est loquacis uaniloqui, & insipientis, secundum Arist.

De Femore.

FEMOR Dicitur & foemur, aliter ilia appellantur, & hypocondrion uocatur. Est autem foemur, molle, durum, & rugosum. Pilosum autem nunꝙ uidimus hominis femor, ut quidam retulit uidisse. Natura tamen duo foemora constituit. Dura igitur ilia, sunt masculina, quae & roboris, & mulierositatis sunt inditium. Mollia autem designant oppositum. At foemur rugosum, signum est calidi, & uersuti uiri.

De Ventre.

PRISCI Ventrem appellanerũt corporis partem illam, quae a pube est ad uentriculum usꝙ. Et uentrem, uel ma-

gnum, siue paruum, aut pinguem, seu strictum, pilosum'ue, siue depilem diuersis conspeximus in hominibus. Sed magnus venter secundum Arist. inditium est amentiæ, atque ellati animi, parui etiam hominis testimonium, idem, & valde mulierosi signum. Talem & Rasis retulit esse venereum. Nos autem habentem ventrem magnum denunciamus, edacem, & propria obligurientem bona. Paruus vero uenter oppositorum est inditium. Sed pinguis, arguit virumfortem. Strictus et langoribus infectus, refert mollem, ineptum, atque indocilem. At venter pilosus, prodit verbosum, & uenereum. Depilis etiam testis est casti, & taciturni.

De Pectine.

PECTEN Dicitur pubes. Locus, uidelicet, in quo pili nascuntur iuxta verenda. Sed de speciebus eius. In quibusdam nouimus acutum infernis in partibus, in supernis vero, latum. Est etiam pecten protensum, & acutum, estque ualde osseum. Et primum est inditium roboris, alterum autem, fortitudinis. Tertium vero fœminei, & mollis est testimonium. At pilosum pecten indicat hominem mulierosum esse. Sed depile refert oppositum, & temperantiam omnium dictarum proprietatum significat, pilorum raritas in pectine.

De Menta.

MENTA Virile membrum est. Atque per excellentiam vocatur membrum, quia solum generat. Dicitur a quibus-

dam & muto, sed a Gal. nuncupatur colis, per quem emittitur vrina. Est autem Colis oblongus, crassus, longus, et gracilis, ac breuis. Sed hoc membrum secundum Arist. per exercitium conueniens illi, crescit, & magis fit turgidum. Decrescit etiam & minuitur, ob ignauiam, ac defectum exercitij. Mentam ergo oblongam gerens prætextã latis uenulis, naturæ calentis est inditium. Is tamen non est ualde mulierosus. Oblongam vero & gracilem habens, testis est, imbecilioris uirtutis. Is quoq; mulieribus est odio. Tale. n. membrum impedit conceptum. Nonunquã est causa & abortus. Quanto igitur, erit colis longior, et crassior, tanto ineptiorem arguit proprium dominum, & stolidiorem. Vnde iam & in prouerbium res cessit. Omne malum animal valde est mentulatum. Hinc etiam arguimus hominem secordem pigrum & insipientem. Qui uero mentam possidet breuem & crassam, oppositarum proprietatum est auctor. Is. n. acubitui aptus, is frequens fricationibus, is & sobolis creandæ aptissimus, is celer in operibus, is mentis sanæ compos, is & moribus præstantior est dicto. Is demum & honestissimis mulieribus carissimus esse debet.

De Testibus.

GAL. In dif. Med. Inquit, Testiculi sunt carnosi, & in munitissimas partes abiecti, humidi, & calidi concoctio-

nem seminis in eius meatibus absoluunt. Duo tandem unicuique homini naturaliter sunt inditi. Pilosi tandem testes, arguunt calidam temperaturam, & proclinium ad Venerem, & masculorum generationem. Depiles uero indicant hominem natura frigidum, & contrarium dictis proprietatibus. Tamen hirsuti pili testiculorum inditium sunt biliosi, fœcundissimi, & maxime venerei. Et quãto quispiam habuerit pudenda uentrem, & fœmora magis pilosa, tanto erit feruentior ad Venerem, uerum is celerrime satiatur, læditur autem si multum. Gal. & Rasis retulit proteruum hominem esse Eunuchum. Sed magni testes signum secundæ fortunæ: Parui autem sunt inditium oppositi. Impares uero arguunt ualde uenereum. Pares etiam prosperitatis testimonium. At magni vltramodum cum menta oblonga stoliditatis sunt accusatio. Sed cui testis dexter erit maior sinistro is erit masculorũ productor. Cui uero sinister grandior fuerit, is erit sator fœminarũ. Et Cocles gibbosi, & parui corporis habent, ut plurimũ, magnitudinem uirgæ. Ideo Matronæ solent famulos similis staturæ accipere. Solent. n. fortitudinem, secundũ aliorum membrorum conglutinationem ostendere. Idem etiam in eisdem hominibus nos quoque de testibus dicendum esse fatemur.

De Coxendicis.

COXAE Dicuntur & Coxendica, & a uertebro sub fœmore incipiunt, descendentes usque ad genu, & geminæ

sunt

sunt coxæ. & sunt valde osseæ, & multum prominentes, carnosæ, & decentes cum gracilibus. Neruis itaque grandes coxæ, & valde osseæ audentis, ac fortissimi sunt signum. Sed ossa coxendica nimium prominentia audentis inditium, ac velocis. Verum coxæ carnosæ, fortis, audentis, atq; superbi animi testimonium. & decentia ossa coxarum, & admodum carnosa cum neruis gracilibus sunt inditium, mollis & fœmineæ naturæ. At protensa coxendicorum ossa, virilitatis signum ni mollis caro contingit. Namq; hoc indicat fœmineum, & admodum, timidum. Solida vero & dura caro coxarum testis est roboris. Tenues autem, & coxæ graciles sunt fœminei, & amatoris. Pilosæ etiam coxæ luxuriosi hominis sunt signum. Depiles vero indicant oppositum.

De Genu.

QVOD γονύ, Græci. Nos vero *appellamus genu. & duo sunt homini, vt statuit natura.* Itaq; *in dextro leuoq; genu, est commissura gemina a priori parte cum buccarũ inanitate, per quæ spiritus fugit vt e vinculis, quoniã per fossa sunt.* Itaq; *vidimus genua hominum tum carnosa, cũ gracilia, conuersa ad intra, & foris prominentia. & carnosa inditium mollis hominis, imbecillis, fœminei, & tardi gressus.* Gracilia *uero genua arguunt timidum, atq; intra conuersa, ut quasi terrantur, fœmineam naturam designãt.*

Luxantia etiam cõperimus genua, quæ tardi incessus sunt testes. & foris prominentia accusant naturam Cinedi, atq; hominem luxuriosum esse retegunt.

De Tibijs, & Talo.

TIBIA Est os cauum porrectũ a genu ad Talum vsq;. & duo hæc quoq; natura dedit homini; de quibus nonnulla etiam notauimus, quia prætexta sunt cruribus. Demum ex latis tibijs concepimus robur hominis. Ex oppositis imbecillitatem. Quod & de talo dicimus. Verum cum talus fuerit crassus, & carnosus, hebetis atq; inuerecundi erit signum. Et neruis prætextus fortis, & audentis est inditium. Diformitas uero talorum arguit imbecillitatem, & inuerecundiam.

De Sura, siue Crure.

SVRA Est posterior pars cruris illa, carnosa, quæ tantum est homini. & duo crura sunt. Quæ cum carnosa tum gracilia plurimis neruis, & venis circumplexa, & mollia, & formam excedentia vidimus. Itaq; carnosa designant hominem intemperatum, sordidum, & loquacem. Gracilia at parum neruosa, timentis inditium. & circumplexa neruis virilitatis, ac roboris signum, & in uenereis testimonium fœcunditatis. Sed formam transcendẽtia naturæ, sunt odiosa. Ast mollia fœminea dicuntur crura.

Et pilosa cupidineum, verum sine pilis designant oppositũ.

De Articulis.

ARTVS Sunt partes corporis, consitæ inter iuncturas. Sic etenim maxime, a Medicis uocantur. Quoniam inter se arctentur. Vnde & minores partes per diminutionẽ uocant articulos, quales sunt digitorum. Sunt autem articuli crassi, atque exiles, ac uenulis, & neruis prætexti. Sed crassi hebetis naturæ, & inuerecundi hominis sunt signum, exiles vero indicant contrarium. & neruis, ac uenulis prætexti Validissimi atq; audentis inditium. Sed incompositi articuli hebetis naturæ sunt testes, atq; inuerecundi hominis.

De Pedibus.

ORNAVIT Etiam natura hominem duobus pedibus, qui cum fuerint magni ossei, & neruis contexti magnis. Testes erunt roboris, & tales præcipue sunt masculorũ. Parui autem pedes, at plurimũ carnosi, ac solidi, arguũt nequam intellectum, fatuum atq; cupidum hoĩem iniuriarũ. Verum parui pedes, & graciles, audentis, ac fortis sunt signum. Oppositi autem inditium mollis naturæ. Tamen secundum Rasim parui pedes designant celebrẽ, ac venereum. Sed crassa pedis posterior pars, est inditium pituitæ, & calidi atq; uersuti hominis testimonium. Pedes autem graciles sunt signum timoris. Is etiam leui repulsu

sterni solet. Et secundum Pythagoram, Parua formã mala est in rebus, quoniã fœminea. At pedes quadrati absq; concauo sub plantis sunt inditium dolosi hominis, ac vafri. Opposita uero forma pedum, designat oppositum. Sed oblongi pedes sunt nequam, & dolosi, & ultra modum graciles uafrum etiam indicant hominem esse. Pedes autẽ discreti secundum formam, perhibent generosum hominem. Atque, eius optimum ingenium. At pedes curui vbique & semper detestantur.

De Incessu.

ET Quoniam uarius est incessus, ob maximam hominum diuersitatem. Ideo varium & multiplex erit, et iuditium. Motus etenim maximum est inditium proprietatum hominis. Velox igitur motus, siue incessus, signũ est calidæ temperaturæ. Namq; tardus gressus arguit dominium pituitæ. Medius autem motus inter hæc mediam, & temperaturam hominis indicat. Protensi uero passus, rari, ac tardi, proueniunt ab optimo habitu animi. Sed contrarius gressus oppositum significat de mente Rasis. Longi passus etiam sunt magnanimi. Et gradientes absq; ordine auari, ac tristes monstrantur, quia & mali animi signum hoc est. At uelox motus cũ proreᵭo corpore, honestum habitum indicat, & calentem hominis proprietatem, & sermonis promptissimum, & qui totum circumflectit corpus

dum graditur is valde timidus est, quoniam hoc est indicium vilis animi, & neq; praeterea is etiam dum ambulat, si frequenter micat oculis, & caput concutit. & crebro anhelat, inanis atque versuti animi signum est. & qui modo celeriter modo tarde mouetur, is uafer est, viribus imbecillis, & pauore plenus. Tardi vero gressus, segnitiem hominis indicant. Verum dum quis astu tarde incedit lentis'ue mouetur passibus, cum capite demisso, is est vir animi elati. Tamen cum quis dum ambulat, caput cōcutit, ac manus flectit modeste, roboris signum erit, ac magnanimitatis. & qui tergora torquet dum fuerit paruus corpore, testimonium erit hoc optimi ingenij. & qui protenso corpore incedit iudicandus est vaniloquus. Tardus etiam motus, mollis pigri, atq; indocilis est signum. & qui se ipsum circumuertit dum ambulat, adulator est, ac proditor ut asserit Albertus. Sed qui saltando graditur erectis natibus, & facie, is olet Cinedum, quia mulierosus. Et qui nimis flectitur genibus dum ambulat, hunc oportet fieri captiuum, siue grauissimam iacturam pati. & qui extremis incedit colligendo genua Cinedus est, & mulierosus. & qui quadam mensura mouetur, is, fur est existimandus. Sed qui rectis cruribus incedit magnanimus est atque audens. At qui inconsiderate mouetur, demens est. Et qui ambulat extensis plantis quasi eas defigens in terram, vir optimus est, hoc etiam est & fortis animi signum.

MACVLAM Nigricantem tritiori nomine vulgus appellat Neuum itaq; hæc nota, in viro est inditium futurorum cõmodorum, dũ fuerit in frõte. In fœmina uero in eadẽ sede, signum hoc, regnandi testimonium est, siue, futuræ maximæ potestatis. Sed prope supercilia in mare, est prognosticon habendæ formosæ vxoris, ac probæ. Ibidem sita nota hæc in muliere. Testis est, nubendam viro diuiti & formoso. At neuus innatus supercilio. & plurimarũ vxorum ducendarum inditium. & odio habentis iugalia signum est. Arbitramur idem etiam dicendum esse & de fœmina dum eadem nota fuerit in supercilio. Verum si erit in naribus, seu super nasum, masculo, aut in alijs abditis sedibus, ad uenerea propensum indicabit. Idem fatemur & de muliere. Cum uero in tergore uiro fuerit neuus, uinculorum, & cruciatuum est signum. Tamen in gutture uiri, uel fœminæ inditium est alterius, & formosæ, & diuiti vxori adhæsurum alterius uero eadem fortuna potiturum. Sed in manibus vtriusq; sexus nota hæc significat sobolis fœcundos esse. In pectore etiam vtriusq; ostendit fore obnoxios paupertati. Verum cum neuus super mammas, siue super sedem fuerit cordis. Indicamus facinorosum esse. Mulierem autem neq; pronunciamus etiam in cuius papila neuus erit. Dum uero signum hoc fuerit in mare ex obliquo nasus inditium erit peregrinationis, quia signum est instabilis. Plerunq; etiam notauimus in muliere notã

banc in abditis testem esse morborũ pedum, vidimus quoque hominem illum, qui in gula neuum habet, diuitem fuisse. Sed mulier quæ maculam hanc gestat in maxilla inferiori, infecta consumet dies. Idem putamus dicendum esse, cuius in ima parte vẽtris eadem nota fuerit. Et qui super linguam dictum habet neuum ducet diuitem, & venustã coniugem. Sed in labijs signum hoc, & marem, & fœminam accusat, uoracem, & gulosam. Ast in mento, nota hæc, prodit futurũ diuitẽ. In fœmina uero in sede lienis, et super mentum eiusdem fortunæ testis est. Et super aurem inditium, amantis, diuitis, & celeberrimi. Et in fœmina, neuus super aurem siue in fœmore testimonium est eiusdẽ fortunæ. Verum in collo sedens nota hæc, vtriq; sexui. Vtriq; etiam testis est opũ futurarum. Sed in ceruice maris, signũ est detruncationis colli. Tamen porus, uel neuus in fœmore tantum maris, vel fœminæ, inditium est inopiæ atq; infœlicitatis. Verum dum neuum, siue porum gesserit mas in genubus, inditium erit diuiti connubio iuncturum. Sed in genu dextro signum hoc in muliere testis est probitatis, In leuo autem notat fœcundissimam fore. In pedibus & talo neuus, vestium superbarum vsum coniugis indicat. Vxori uero uiri intercipit potestatem. In pedibus ẽt iunctis lecto iugali hæc nota inditiũ fœcundæ prolis. Tamen sciendum est, q hæc signa tam in mare, q̃ in fœmina, sita in dextra parte corporis, & probitatis, & diuitiarũ sunt ostentatio. In leua uero obnoxios calamitatibus

perhibent & paupertati. In aluo etiam tam maris, quam fœminæ inditium est edacitatis. Sed cum in vtroque sexu neuus erit super lienis sedem testis erit diuturnæ ualetudinis. Hoc idem, etiam significat cum in aluo amborum constiterit. In abditis etiam vtriusque signum est insatiabilis cupidinis. Sed in genitalibus in mare testis est masculinæ prolis. In fœmina uero diuersæ fœturæ. At in Inguine utriusque sexus copiarũ & ubertatis est testimonium. Verum tamen fauore etiam eius, qui ubique est Deus, & nusquam deest secundo finem imponimus tractatui, ex Græcis.



M. ANG. BLONDI DE PHISIONOMIA. TRACTATVS. III.



SI QVANDO Roma floruit studijs liberalibus, arbitramur φ nunc maxime floret. Quod, plurimorum eruditorum ostendunt clarissima exempla, cedit. Namq; Gimnasium Græcorum Italis Scolis, est enim modo maximus occursus prudentum per uniuersam Italiam. Nam quocūq; uerteris fit obuiam eruditus, Scaturiunt autem per orbem etiam iniqui, qui semper insidiantur præcipue bonis, & uirtutem amantibus. Ideo in hac quoq; particula imitabimur illos qui aliorum opera æstimant quanti sint habenda, & quoniam nemo fidelius iudicat φ artifex de propria arte, ut pictor de pictura, & sculptor de sculptura. Ita & Philosophus de Philosophia, & rebus spectantibus ad eam. Etenim plerumq; fugiet discrimen malorum cum mediocriter etiā his scriptis prudens aduerterit. Satis itaq; de sedibus externis humani corporis iam scripsimus. Propterea nunc flectemur animo ad partes internas, ut prudens comprehendat ab eisdem hominum probitatem, atq; improbitatem, ut alteram uirtutem possit amare, alterum uero uitium penitus difugere possit atq; orrere.

DENTES Quidã appellauerunt quasi edentes. Verũ nonnulli putant deductos a Græco, quia Græci vocãt dẽtes ὀδόντα. & trium specierũ sunt dẽtes animalium, et serrati sunt piscium, canum, & serpentum. Continui hominum atque Equorum. Exerti aprorum, & elephantum. At nos ad dentes hominum accedendo. Dicimus magnos dentes inditium fraudis & deceptionis esse, Testes ẽt sunt homicidæ, atque edacitatis. Tenues autem & rari dentes sunt signum imbecillis temperaturæ secundum Rasim, ac breuissimæ vitæ. Sed in somnis dentium concutio inditium est vermium, quod frequẽter notauimus in pueris, cui autem crassi dentes, vel prominent extra siue intra plicãtur, is est crassi intellectus, & est valde mulierosus, & morbo infectis dentes siccissimi, signum est periclinationis. Verum dentes succo pleni indicant fluxum fluoris a capite fluentis, hoc est signum incoctionis, & debilitatis virtutis concoctiuæ, nonnunquam & tumoris gutturis, quia tales affectus patientes uberrimam emittunt humiditatem. Sed habentes dentes cõpactos pitissant lãbendo, illi aũt proluũt aluum uino, vel aqua, frequenter etiam auriunt, siue sorbent quos natura dotauit congruis dentibus.

De Lingua.

LINGVA Ideo dicta est quia cibum liget, nam propria vi ipsum conglobat, deprimit atque transmittit in ventricu-

lam. Gal. autem, lingua venosa, & carnosa subpinguis quidem, humorum sensoria deglutioni ciborũ subseruiens, & dicimus linguam esse dotatam duplici facultate, quarũ altera est qua sentit, altera qua mouetur pro imperio voluntatis. In morbido igitur si grauis est lingua post leuem, inditium est occasus, secundum Hypp. Cum vero lingua imbuta est quopiam alieno humore, tunc est saporum sensio deprauata. Atque hoc nascitur ex gustu quoniam quæ gustat, uel salsa, siue amara videntur, cum tamen nullatenus talia fuerint. At insalubri corpore lingua crassa, & lata ruditatis est inditium, atque vberrimæ pituitæ signum in vniuerso corpore. Sed lingua gracilis arguit optimũ ingenium, & biliosam temperaturam. Retulit etiam Pibo. ꝙ longa & rubens lingua insapiente solet esse, hæc etiam est paratissima ad sugendum eꝙ ad osculandum. Candicans autem lingua, siue alba, miseriæ & paupertatis est signum. Sed qui repetit partem, vel totum verbum dum loquitur, seu illud frequenter corrũpit, iracundus, impetuosus atꝙ vesanus est. Et qui fuerit tardiloquus hunc dicimus valde pigrum esse. Verumtamen lingua naturalis, boni habitus inditium est, quod si quando hæc etiam patitur quempiam affectum. Dicimus signum esse morborũ præcipue thoracis, aut ventriculi.

De Voce.

VOX Est in gutture sicut in organo proprio, In quo pars

vna principalis, cæteræ autem sunt illi in adiutorium. inquit Gal. primo de interioribus. Idem etiã inde locis aff. ait, Propria huius actionis materia generatim quidem loquendo est spiratio, secũdum speciem uero atq; propriam differentiam, exuflatio, quæ, quidem est, cum affatim spiritus foras effertur, inter costalibus musculis ad hãc actionem concurrẽtibus. & vox munus est vocalium instrumentorum, & instrumenta eius sunt guttur, & musculi, ipsum mouentes atque nerui, qui a cerebro ipsis vim defferunt, & muti sunt quorum musculi sunt immobiles. Quorum vero mouentur difficulter, uocem edunt pro affectionis modo, ut tremula uox tremantes indicat, & musculos. Et uox obscura indicat imbecilles uires musculorum, uel etiam neruorum mouentium illos. Verum cum quis acutiorem, siue maiorem uocem reddat q; sit proprium illi, erit inditium affectarũm faucium, quod nequeãt intendi a suis musculis. Sed grauiter uox læsa, accusat ubertatem humiditatis, stantis in membrana, quæ communis est, & faucibus, & gutturi. Et uox rauca sæpenumero indicat fluctiones, & inflammatio membranæ talem efficit uocem, ut & uehementes exclamationes. At inflammatio internorum musculorum gutturis, anginæ prodit morbum, quod retegit, & uocis, & spirationis impedimentum. Perditur etiam uox graui sopore, morbo comitiali, Apoplexia, in moderatis uigilijs inter costalibus morbis, thoracis, & gutturis sectis partibus ictu, & omnibus tumoribus gulæ,

& faucibus, obortis. Et maiora Gal. indicans quibus notis vitiata voce, affecta sedes deprehendatur, scripsit inde locis Aff. Praeterea ex voce rauca, malae temperaturae comprehendes vitium, cum vero nec vox, neque eius lacertus fornisecus infectus fuerit, ut uentorum uiolentia, acerrimis esculentis, amaris, siue salitis rebus, tum ex vocis diuersitate indicabis. Itaque vox grauis, uiri fortis inditium est. Gracilis vero signum est timidi, secundum Auer. Amplitudo etenim uenarum grauem efficit sonum vocis, oppositum autem facit contrarium. Magna etiam, & vox sonora, vafri atque iniuriosi est testis. Cuius vero uox erit grauis in principio prolationis, in fine autem acuta, illum aestimabis maxime iracundum. Dices etiam quod primum esse placabilem. Tamen vox acuta, & mollis, siue interfecta inditium est pauidi. Grauis autem, praeualidi signum. & mollis non interfecta, testis est mitissimi. Sed qui sonoram amplam profert vocem, hunc existimabis audentem, pugnacem, ac eloquentem, & vox media inter sonoram, & gracilem, accusat sapientem, veracem, & iustum hominem. Ast velox verborum enunciatio, cum voce gracili retegit proprietatem stolidi, neque & mendacis. Vox dulcis, & amica auribus inuidi testimonium est. Celer uerborum etiam prolatio cum uoce gracili praui hominis, iracundi, atque importuni signum. Sed uox aspera inuidi est. Et uox grauis gulosi. Vox autem diruta, stulti, & cuncta obligurientis, & aduersis aliorum suc-

cessibus lætantis inditium. Vox stridula nunciat iniustū atq; inuidum. & uox tarda segnitiem præfert. Verum hæc considerantes inuenient uocem mulieris graciliorem, uiri autem acutiorem esse.

De Risu.

RISVS Est quo animus ualde iucundatur. Nam qui non rident facile appellantur tristes. Itaq; risus est & propria, & aurea dos animi. Quod cum Virgilio esset notum. Scripsit in Polione, Incipe parue puer, risu cognoscere matrem. Hoc est hilarem animi dotem ostende. Sed de risu tractantes dixerunt, risum decentem, rarum, laboriosum, ut clamantis sine causa, nimium, magnum, & frequentem esse. Et risus decens inditium est benigni animi, atq; affabilis. Rarus autē indicat claritatem ingenij. Laboriosus risus signum est præstantis ingenij, & artis, q̄ sequitur exequutoris diligentissimi testimonium. Sed risus vt clamitantis cum quodam plausu, signum est uerecundiæ. At qui sine causa ridet, tussiculans, dum ridet, siue retorquens caput, inditium est instabilis, inuidi, & facile utroque flectentis. Magnus uero seu frequens risus dementis est, quia arguit defectum intellectus. Præterea inuenimus hominem qui frequenter ridiculat, siue ut sautius crebro subridet, hunc itaq; dicimus nequam hominem malæ mentis, ac pessimi animi, quia dolosus, & mendax,

acerrimusq; dissimulator est. Vidimus etiam torquentem os ridentem, quem nouimus, falsum, proditorem, mendacē, atque auarum esse. Comperimus etiam ridentem qui grauiter spirat, raptorem, & amantem turpium. Demum cui oculi ridendo, uidentur ciere risum, hunc hominem iucundum pronunciamus, atq; mulierosum. Sciendum est autem q̄ nimius risus est causa senectutis, ut retulit Arist. ad Alex. Intemperans etiam risus in affecto signum est delirij, vel paraphrosinæ.

De Anhelitu.

QVOD Anhelitum, princeps, tertio, can. Idē Gal. in dif. Med. protulit esse respirationem, quam dixit esse atractionem aeris, per nares, ex cerebro, inde per fauces, & in pulmonem, & in ipsum Cor. & in quatuor ætatibus considerátur anhelitus, uidelicet, in pueritia, iuuentute, senectute, atq; in ipsa damnosissima decrepitate. & pueri sunt frequentis, ac uelocis anhelitus, propter succorum ubertatem uaporosorum, siue ob deffectum uirtutum corporis incompletarum. Iuuenis autem maiorem possidet anhelitum, minus uero frequentem, minusq; velocem. Senum etiam anhelitus minores sunt q̄ iuuenum, & fortiores decrepitorum. Sed anhelitus decrepitorum tardi ac rari sunt ob defectum omnium uirtutum, quod non occultatur inquit princeps. Itaq; decens anhelitus, quieti, pacifici, &

compositi hominis signum. Magnus autem inditium est roboris, magnum etiam & potatores habent anhelitum. Verum opposita respiratio signum est oppositi. Quando etiam quis anhelans, ducit alta suspiria ab imo corde, seucumq; gemit, is propediem efficietur melancolicus. Cum uero intersecans anhelitum, gemit quatiens caput, is est plenus cogitationibus, isq; constitutus est in extrema calamitate. Dum tamen quis torquet oculos anhelans, is concepit languorem animo, & qui frequenter emittit fatentem spiritum, is siue morbo infectus est, siue impetuosi, atq; iracundi animi inditium est. Et qui naribus spirat, ut follibus rugitq; impatiens, is uehementer est iratus, geritq; animo maximam feritatem. Compressus etiam anhelitus, ac tardus, imbecillis, atq; timentis est signum. Sed qui anhelans suspirat, & in postremo anhelitus præfert vultu quandam pietatem, is grauiter amat. Sed anhelitus uehementer constrictus, inditium est tumoris in pulmone, de mente principis. Et Arist. ad Alex. Cum te spectantem prospicis, ille autem perterritur, & erubescit, & anhelans multus suspirat, & lachrymis rorat oculos, signum erit, & amoris, & timoris. Postremo autem spiritus frigidus per nares emissus, atq; os ægerrimi, inditium est citissimi obitus.

De Cerebro.

ET. Quoniam cerebrum est sedes nostri animi q̃uis fundamentum

dumentum eius sit in corde, quod, cum operum nostrorum obtinet principatum, de cerebro dignum est etiam phisiognomizemus. Itaq; vitium, & uirtus eius, sunt indicia qualitatam cerebri. Optimum tandem ingenium, accusat, cerebri subtilem substantiam. Tarditas uero indicat oppositum. Sed discendi facilitas facilem perhibet receptiuam. Memoria autem significat firmam, ac stabilem substantiam: Obliuio tamē, ac discendi difficultas, perhibet cōtrariam. Sed opinionum uarietas, calide; stabilis uero opinio frigidæ inditium est substantiæ cerebri. In quo autem oīa hæc sunt moderata, arguunt eius cerebri mediocrem temperaturam. Cum vero ex forinsecis signis cerebri proprietates uolueris dignoscere, tunc quæ circa caput sunt considerabis. Nam si rubicunda fuerint circa caput, & admodum calida, præcipue cum in oculis venulæ turgent, hoc signum erit calidi cerebri. Quisquis enim per os, atq; nares parua excrementa deijcit, is, integram possidet cerebri sanitatem. Vberrima etenim excrementa defluentia hinc accusant cerebri intemperamentum. At qui leui breuiq; irrigatur somno, calentem habet cerebri temperaturam. Opposita autem indicant contrarium. Verumtamen turbulenti sensus, & copia excrementorum e partibus capitis, atque vberrima soporis irrigatio, ac profunda, humidi sunt signa cerebri. Qui uero plurimum uigilat, citoq; fit caluus, estq; subrufus ad consistentiam, is est sicci, & calentis cerebri. Superaucta uero humiditas, seu caliditas, signum est

cerebri suppositi hebetudinibus. Et visus turbulentus, arguit humidum cerebrum vigiliæ siccum, somnus multus, ac profundus testis est humidi cerebri. Tactus etiam capitis calens, & facies rubicunda, ad ætatem consistentiæ, inditium est sicci, et calidi cerebri, venæ magnæ circa oculos, & plura excrementa mediocriter cocta, calidi atque humidi cerebri sunt signa. Frigidum caput, & vultus minime coloratus, testimonium est frigidi, & sicci cerebri. Qui tamen graui temperatur somno, seu facile uertitur in somnum, is, destillationes, & grauedines capitis facile patitur, isq; est frigidi, atq; humidi cerebri. Cumq; caput madet in summitate, languent tempora, oculi autem dolore laborant, variaq; visui obijciuntur, cum caligine quadam, neque ventorum spiritus, radios ue Solis patiuntur, sonitusq; sentitur aurium, hæc omnia sunt signa cerebri madentis; in reliquis tamen consules Hypp. atq; Gal.

De Corde.

COR Vtcunq; natura fuerit frigidissimum, sane, semper est ualde calidius calidissimo cerebro. Ideo magnitudo respirationis, velox pulsus, & frequens, audacia atque actionum promptitudo, cordis sunt inditia calidi. Furor autem iracundia, & temeritas, arguunt eius excessum caloris. Præterea intensus calor totius corporis, designant cor calidum. Ast caput paruum, thorax uero latum, inditium est

caliditatis cordis. Oppositum verò signum est frigiditatis. Timor uero, segnities, ac depilositas pectoris, frigidi cordis est testimonium. Ira autem non prompta sed sera ad accendendum, accensa uero quæ haud facile sedari potest, inditium est cordis sicci. Mollis natura, tardus ad iram, signum est cordis humidi, magnæ respirationes ueloces, ac frequentes promptitudinem significant cordis ad actiones. Iracundia uero & impudentia, tyrannici cordis morum inditium. Facilitas furoris, haud facile placabilis, testis est, calidi, & sicci cordis. Sed pulsus magnus, ac mollis velox, & frequens cum magna respiratione, signum est humidi, & calidi cordis. Timiditas, ac segnities etiam, & tarditas ad iram, inditiũ est humidi cordis, ac frigidi. Durus pulsus, & paruus respiratio parua, arguit cor frigidũ, & siccum, Cum uero maiora volueris cognoscere confugies ad testamenta prædictorum.

De Pulmone.

PVLMO Notissimum est membrum, deseruiens autem respirationi. Itaq; frigida inspiratio, & oblectatio calidi, atque excrementorum excretio pituitosa, cum tussi, et voce obscura, inditium est frigidi pulmonis. Clara autem vox, deffectus excrementorum pituitæ inditium est pulmonis sicci. Ex oppositis tamen, oppositas comprehendes affectiones pulmonis.

De Iocinore.

IECVR Membrum est in homine, quod alioquin Epar dicitur, cuius uolentes qualitates cognoscere, atque hominis naturam. Inspiciant hæc, quæ discurrimus, quoniam sunt de præcipuis per quæ Iocinoris noscuntur qualitates; atque hominis. Itaque uenarum latitudo, ubertas flauæ bilis, & uniuersum corpus calens, inditium est iocinoris calidi. Opposita uero sunt signa epatis frigidi. Ex calidis tandem inditijs argues furentem, iracundum, & in actionibus sollicitum, atque, haud mediocrem esse potatorem. Ex signis tamen oppositis argues pigrũ in agibilibus, desidem, ac uitã odio habentem. Veruntamen siccus habitus. Duræ uenæ, & crassus sanguis, testes sunt epatis sicci, atque imbecillis naturæ hominis. Plurima autem flaua bilis, uenarum latitudo, & durities, signum est iocinoris calidi, & sicci, iracundi, ac fortissimi uiri. Tamen habitus corporis humidus, & calidus, cum uenis amplissimis indicant, epar calẽs atque humens esse. Benignæ itidem naturæ signum est hominis, atque amantis quæque mollia. Venæ etiam angustæ sanguis decedens ad pituitæ naturã testes sunt epatis humidi, ac frigidi, & est signum insipidi hominis. At paucitas sanguinis, & uenarum angustia, signum est frigidi, et sicci epatis, et melancolicæ complexionis inditium.

De Ventriculo.

VENTRICVLVS Est mẽbrum in homine quod

recipit edulia quæq; post deglutionem, et Tricius vocatur stomacus. Cum igitur ventriculi hominum naturam quis vellet cognoscere, considerabit, quæ scripsimus signa. Oblectatio tandem siccorum edulium, frequens appetitus bibendi, paucus tamen pro vice, signũ est ventriculi sicci. Vsus autem oppositorum, est inditium oppositi, videlicet humidi. Qui melius concoquit q̃ appetit præsertim duriora, inditium est ventriculi calidi. Qui vero ructant acide, quorumq; cibus acessit in ventriculo, & qui appetunt frigida, atque leduntur ab eisdem, eorum sunt signa ventriculi frigidi.

De Liene.

QVOD Membrum sit lien omnibus putamus notum esse. Est autem sedes succi melancolici, cuius magnitudinem malus color vultus, biliosusq; habitus accusat, malus etiam odor oris maciesq; immẽsa inditiũ est, malæ affecti lienis.

De Vtero.

EA Pars quæ mulieribus est data a natura ad concipiendum, & pariendum, vterus vocatur. Itaq; respirationis perditio in muliere prodit uteri affectum, malus color etiã & frigiditas corporis, sunt inditium vteri frigiditatis, grauitas vero uentris, & corporis totius, & dolor colli, ac A

dorsi, amissio appetitus, mens quoque mala pessimum indicat vteri affectum. Plurimus etiam fluxus mensium signum est debilitatis retentiuae vteri. At mentis alienatio, ac decoloratio cum mœrore quodam et oscitatione, atque renum extensione arguit acubitus uiri desiderium, quia mulierem accusat hoc, maxime veneream esse. Reliqua omisimus consideranda eximijs medicis, quoniam hic finem nostrae ponimus contemplationi.

Ex Hyppocrate.

QVIBVS Caput magnum est, oculi parui, blesi ue sint illi iracundi sunt, & longeui. Multos habentes dentes, balbi, celeres lingua, atraque bili facillime inficiuntur, qui difficulter nictant oculis celeriter irascuntur. Sed oculi nigri, magni, crassae nares, & simae optimi uiri sunt. Oculi pulchri, magni, caput magnum, ceruix gracilis, pectus angustum, commodi sunt hominis, pusillum caput, non fit caluum, nec balbus fit. Nisi gestans oculos flauos, fuluos et capillos, qui rubri sunt, naso acuto, paruis oculis mali sunt, naribus vero simis, magnis oculis, optimi, humidos oculos habentes gratia sunt pleni. Qui calui sunt naribus acutis exilem vocem habent, magni, calui, blesi, vocis exilis optimi sunt. Qui uoce obsona sunt, illis nares inualidae sunt, quod, si tollatur necessario fiunt purulenti.

Agimus tandē tibi gratias, qui pijs es requies fidissima. Te. n.

videre summa gloria est. Tu igitur bone Deus, esto nobis dux, seu rector, nam semper & semita fuisti, modo etiam terminum hunc precamur perficias. In te enim fuit principium nostrum per te factum est & medium, & finis tandem in tuo nomine huic opusculo imponitur.

Errores qui apparent, in transpositis syllabis, vel elementis, excudendo commissi sunt ob nimium familiarem operis lectionem.

MICHAELANGELVS BLONDVS Maleuolis, atque Inuidis. S.

SEMPER Aestimaui, vos non esse ex illis, qui sero sapiunt, quoniam non fatuos noui, sed rabiosulos, est autem hoc mihi telum acerrimum, vobis uero fructus messis futuræ, quia ego diues factus sum, more Scoicorum, vos uero ut etiam loquar more Romano, me estis locupletiores. Ego.n. Cælo, & Terra fruor tantũ, vos uero bene nummati futuri estis, quia occurrentes mihi vultu superbam accusatis ignorantiam, Cum non tam quid scribere vultis nepotibus, de virtutibus Codri in vobis florentibus, ꝙ nec percunctantibus respondere dignemini. Propterea puto uos, vel Bauios, uel Meuios, appellandos esse, quod si decentius nomen optatis, non Didimos, sed efferam Zoilos esse præstantissimos. Ideo cum exemplaribus nostris, do-

tes, & studia uestra fructuosiora apparuerint. Tum illa uestra haud posse curari dicam, quia non ictu, sed sponte disrecta uidebuntur. Verum hactenus hoc constitueru, essem quidem uos, morbo liuoris, & inuidiæ, infectos esse. Quare ut sim uobis consolationis, nuncio uobis, ut res tanta adhuc in tugurio nostri Libelli excudendi triginta numero, & ultra, tum de Philo. tum de Re Med: & plerisque alys doctrinis, quæ uel augent dictas facultates, uel sunt de partibus earum, quod me mortalem, uos uero immortales faciet. Valete.

Impressum Romæ apud Antonium Bladum Asulanum. M. D. XLIIII.

